

164 M C C X X I I I.

Anno Domini MCCXXIII., indictione XI. In nomine Domini Nostri Jesu Christi cum causa verteretur coram D. Anselmo Dei gratia Aquis Episcopo inter D. Lanfredum syndicum canonicorum ex una parte, & D. Arnaudum monachum syndicum monasterii S. Petri ex altera parte facta petitione in hunc modum. Agit presbiter Lanfredus syndicus canonicorum Aquis coram D. Anselmo Aquis Episcopo nomine Aquis Ecclesie contra Abbatem, & Monachos S. Petri de Aquis nomine monasterii petens ab eis, ut duas partes oblationum puerorum, qui ibi sepeliuntur, sibi in pace dimittant. Item quod non debeant scapsellas imponere, neque sponsas benedicere, neque mulieres surgentes a partu recipere, neque poenitentias dare in civitate, & suburbio, neque infirmos visitare, nec aliquid facere, quod ad jus parochiale pertineat, cum parochia pertineat ad eosdem canonicos.

Super qua petitione lis contestata est, quia respondit Syndicus monasterii, quod nolebat dimittere duas partes oblationum puerorum, qui sepeliuntur apud monasterium, nec ab aliis cessare, quae in libello continentur, cum sit jus monasterii, & ad monasterium pertineat. Super quibus syndicus canonicorum voluit fundare intentionem suam dicens, quod de jure communi ista parochia tam civitatis, quam suburbii spectat ad eosdem canonicos; cum Ecclesia sit cathedralis, baptismalis, & parochialis, & insuper exhibuit sententiam D. Alghisii Mediolanensis Archiepiscopi, & statutum D. Ugonis quondam Episcopi Aquis, & quoddam privilegium D. Adriani Summi Pontificis, & quasdam alias litteras D. Papae Urbani, & D. Alghisii, & etiam D. Milonis, & ad fundandam intentionem suam multos induxit testes, ex quibus dicebat, quod Syndicus monasterii, & Abbas monasterii condemnandi erant secundum petitionem in libello comprehensam.

E contra Syndicus monasterii pro ipso monasterio dicebat monasterium fore absolvendum exhibens pro iam dicto monasterio decretum sive concessionem D. Dudonis quondam Episcopi Aquis factam eidem monasterio, per quam dicebat esse concessum tam monachis, quam capellano servire parochiae sive parochianis, & sic monasterium habere parochiam, unde licitum erat eis, & poenitentias dare, infirmos visitare, sponsas benedicere, mulieres surgentes a partu recipere, & scapsellas imponere, & alia facere, quae ad parochiam spectant. Insuper exhibebat confirmationem D. Guidonis quondam Episcopi Aquis, & D. Enrici quondam Episcopi Aquis, & privilegium D. Adriani Papae, & quasdam litteras D. Adriani, & D. Alexandri Papae. Insuper dicebat monasterium esse tutum praescriptione XL. annorum, & super hoc multos induxit testes, propter quae dicebat monasterium esse absolvendum.

Unde visis attestationibus, instrumentis, privilegiis, rationibus, & allegationibus utriusque partis, & diligenter examinatis, & habito consilio plurium

sapientum, jam dictus Anselmus Aquis Episcopus condemnavit Syndicum, & Abbatem nomine monasterii secundum formam petitionis in libello comprehensam, videlicet quod duas partes oblationum puerorum, qui ibi sepeliuntur sibi in pace dimittant. Item quod non debeant scapsellas imponere, neque sponsas benedicere, nec mulieres surgentes a partu recipere, neque poenitentias dare in civitate, & suburbio, neque infirmos visitare, nec aliquid facere, quod ad jus parochiale pertineat, salvo jure capellani monasterii secundum quod D. Ugo quondam Aquis Episcopus in suo statuto decrevit, & ordinavit. Unde jam dictus D. Anselmus Aquis Episcopus jussit binas cartas unius tenoris inde fieri.

Haec uno brevibus sunt facta tenore duobus. Interfuerunt testes vocati, & rogati Gulielmus quondam Dodonis, Albertus Scriba, Manfredus Bocaz, Petrus Magistri Enrici, Aquideus Serraval, Jacobus Notarius, Ubertus Clericus de Lomello, Presbiter Benedictus Papiensis, Presbiter Enricus Capellanus canonicorum.

Actum est hoc in castelletto Aquis feliciter, die Lunae XXX. mensis octobris.

Ego Petrus Notarius S. Palatii rogatus interfui, & de mandato D. Anselmi Episcopi Aquis hanc cartam binas per alphabetum dividens.

Delegatio Canonorum Aquis in lite cum monasterio sancti Petri.

M C C X X I V. 165

Anno Domini MCCXXIV., indictione XII., die Jovis IV. januarii, in Solario Aquis Ecclesiae praesentibus presbytero Henrico, Canavasio testibus rogatis capitulum Aquis, videlicet D. Otto Archidiaconus, O. Archipresb. de Meladio, Lanfredus Cantor, Paulus, & Magister Henricus constituunt Arnaudum ejusdem Ecclesiae canonicum & syndicum, Actorem, & procuratorem suum in in causa apellationis, quam habent cum D. T. Abbate, & monachis S. Petri de Aquis nomine ejusdem monasterii super jure parochiali, coram D. Alb. Dei gratia electo, & Vilelmo praeposito Canonorum a Venerabili P. D. Henrico Archiepiscopo Mediolanensi, Judicibus delegatis, ut possit agere, excipere, replicare, & respondere, & omnia facere, quae ad ipsam causam noscuntur pertinere promittentes, quod super hoc legitime per ipsum factum fuerit, ratum, & firmum perpetuo habituros. Et ego Jacobus Imperialis Aulae Notarius. &c.

Capitula in lite de juribus parochialibus inter monachos, & canonicos Aquis.

M C C X X I V. 166

In nomine Domini anno MCCXXIV., die lunae X. mensis junii, indictione VII. (1), in palatio Domini Archiepiscopi coram D. Henrico divina miseratione S. Mediolan. Ecclesiae Archiepiscopus.

Exposuit Magister Otto syndicus, & procurator monasterii S. Petri Aquis in causa, quam habet nomine